

NUMMVS VOTIVVS
TATUUM REGNI ANGLIAE: CUSUS IN
honorem Reginae suae Elisabethae: partis aliquot
nobilibus, contra Hispanum, victorijs:
circiter Annum Christi

1574.



Non omnibus ea Regibus ac Principibus contingit felicitas: ut subditorum suorum in se amorem studiumque, quale quidem conceptis votis optare possent, assequantur: sint Aristoni Lacedaemonio similes: pro quo vota publica fiebant, ut filius ei nasceretur: ne tam praecleara soboles interiret: Octavio Augusto: cui in publicum prodeunti affatim se populus effundebat, visurus beneficium ac salutare sydus suum: Vespasiano Caesari: quem Veneres ac delicias suas appellabant sceptrum eius agnoscentes. Na vero horum numero accensenda Heroina verè Augusta Elisabetha Regina Angliae, princeps tum animi, tum corporis dotibus, regisque virtutibus supra sexum incomparabilis: quam quod Iustitiam, sapientiam, invictum pectoris robur mirâ humanitate ac clementiâ temperaret ita efflictim subditi amabant, ut nummo hoc conquerantur mortalitatis legi, fatig, necessitati eam subiectam: nec Phœnicis fortunâ frui: quæ licet igne pereat, ac moriatur: è cineribus attamen suis similem sibi Phœnicem pariat, atq; ita in se vivat perpetuò. Author.

